



niq̄ue fuerit Romanorum dementia, se pro Augustorum salute devovendi, omnes perspiciunt, qui eam devotionem ex turpi assentatione miserrimorum adulatorum provenisse ex eo judicabunt, quod illi *Numini Majestatique* imperatorum *devoti* dici magnopere laetati fuerint.

§. 5.

At ingenium tamen humanum, nullis fere temporibus abhorruisse a devotione, varia summorum virorum conamina, consilia et vota, sacris literis consignata, testantur. Verum haud commiscendae sunt cum devotione victimae humanae, quarum frequentissimus proh dolor usus in sacra historia memoratur. Eadem ex turpissimorum hominum sententia earum ratio fuit, quae aliorum generum sacrificiorum, ut earum sanguine crimina eorum, quae sacra fieri jubebant, expiarentur. Mittimus jam eas, et de exemplis devotionis in sacro codice memoriae proditis solliciti sumus. Occurrunt autem ibi devotiones tam ab gentibus, quam rectis Dei cultoribus susceptae, quorum alii conati sunt se ipsos pro aliis devovere; alii in votis habuerunt, ut, id si fieri posset, devoverentur; alii denique consilia dederunt de quibusdam pro populo devovendis. Iam suo quaevis ordine enarrabimus.

§. 6.

Tristissimum huius rei exemplum in Moabitarum rege Mesa, non sine summa animi indignatione conspiciamus. Ille fugato a tribus regibus Israëlitarum, Iudaeorum et Idumaeorum exercitu suo, ab iisdem gravi obsidione tenetur.

) (2

Tremen-